

Joachim Crell Hilarius Vismar

Disputatio De Via Inquisitiva Habitus Philosophici

Rostochi[i]: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729603903>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1641.

Joachim Crellius
Hilarius Vismarus



26

IN NOMINE JESU.
Disputatio
De
VIA INQUISITIVA
Habitus Philosophici,

Quam
Assistente Divinâ Spir. S. gratiâ,
Permissu Amplissimæ & Nobilissimæ
Facultatis Philosophicæ,

In Alimâ Rosarum

Academiâ


*Publico Eruditorum examini
subjicient*

M. JOACHIMUS CRELLIUS,

et
HILARIUS VISMARUS,


Pomerani.

*In Auditorio majori, ad diem 3. Mart.
horis à 7. matut.*


R O S T O C H I,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. XLI.



ILLUSTRISSIMO COMITI
ET DOMINO,

Dn. ANTHONIO GUN-
THERO,

Comiti in Oldenburg & Del-
menhorst/ Dynastæ in Zevern &
Untershausen/

Domino suo Clementissimo,

*Philosophicam hanc
exercitatiounculam
humillimè*

Offert & consecrat

Hilarius Vismarus.

Praestantissimo & Politissimo
DN. RESPONDENTI

De via Inquisitivâ
disputaturo.

Indagas *Sophia* Via qua fiet indaganda:
Inventa calcas, *Fautor amice*, *Viam*.
Indaga inventa *Via* porrò qua sit eunda,
Indagando *Viam* sic decus invenies.

Ita acclamat.

PRÆSES.

Divini in nobis superesse icasmatis ignes
Qui perhibent, istos vera referre patet.
Quocirca facit hic rectè, quicumq; latentes
Excitat igniculos viribus in gentii.
Hoc, *VISMARE*, tuo volvens sub pectore, monstras
Ingenii specimen, pulpita nostra petens.
Perge ita naturæ pervestigare latebras.
Et tu crede mihi præmia larga feres.

*Ita dilectiss. suam Contubernalem
gratulabundus prosequitur*

Anthonyus Günther Godtfridi
Jeverâ Frisius.

HILARIUS VISMARUS

δι' ἀνάγκη:

SUAVIS LARI, MIRUS.

QUÏ *VISMARE* tuas laudes memorabo supèrbas,
Calliope tenui carmine tamq; brevi?
Paucis: Deproperas studiorum absolvere metam,
Strenuus, & cæptam pergis abire viam.

Natus

Naturam agnoscat quod quotq; scientia matrem,
Differis, indubiã talia mente probans.

Illius insufflas languentes arte favillas,
Atq; tuum abstrusas quærit acumen opes.

MIRUS ES HILARI Sophies atq; artis amator,
Progenies patri SUAVIS ES INDE LARI.

FRIDERICUS FOLTENIUS

Oldenburg. Fris.

Illa via est, quã te, VISMARE, inquirere leges
Arcanas Sophia notitiasq; iuvat;

Illam via est, proprius quæ ducit ad ardua Pindi
Culmina; cui solidi restat honoris apex.

Hanc insiste: tuos sic tandem gloria nisus

Excipit, & viridis laurea vota beat.

Sic vovet animitus tuus

Reinhold Reimer.

Monstrat Zeno viam: monstrat Plato sum-
mus: & ipse

Monstrat Pieridum flos Stagirita viam.

Tu VISMARE viam sequeris, quæ fallere Veri
Nescit amatores, dignior ipsa legi.

Sit Plato amicus; Aristoteles sit amicus: amicum.

Zeno; tamen Veri vincit amicus amor.

Ita suavissimo suo commensali
applaudebatur

MATTHIAS BURCHARDI

Holsatus.



JUVA CHRISTE!



Iam assequendi cognitionem habitua- *Præloqui-*
 lem esse duplicem inter eruditos in confesso est: alteram ^{um exhi-}
 In iustificam; Auscultativam alteram. ^{bens Me-}
^{thodum.}

Hanc vocant, quæ ex singulari erga venerandam Antiquitatem ca-
 niciem observantiam, Antecessorum nostrorum vestigia premimus, eo-
 rumque placita, tanquam sacra Oracula, unice Auditoribus nostris com-
 mendamus & instillamus, ita ut vel latum unguem ab ijs recedere re-
 ligionem ducamus.

Hæc est quam maxima Philosophorum pars ab Aristotelis ævo calca-
 runt, per ipsam Archiphilosophum ad umbilicum perduxisse Phi-
 losophiam, eamque perfectam & omnibus numerum absolutam quasi in
 manus nobis tradidisse, adeo ut eidem addere, sit Iliada post Homerum
 conscribere; & adimere, sit piculare facinus committere. Quin po-
 tius, si quid offeratur, quod adversa fronte cum veritate concurrere
 superficietenus intuenti videatur, id commodè interpretatione conci-
 liandum, Autoremque excusandum volunt, cum periculum sit, ut fortè
 ubique divinam ejus mentem satè assequamur.

Inquisitiva verò est, quæ non contenti solâ Præscorum autorita-
 te, ipsi ex rebus in Naturam animadversis scitu necessaria exquisito
 studio investigamus, aliorumque inventa ad Lydium Naturam lapi-
 dem excutimus.

Hanc ingressi enant ante Aristotelem (Pythagoreos nonnullos exci-
 pio) omnes ferè, quotquot bonis artibus operam navabant; nam alte-
 rum alter insecutus, priora semper eliminavit, interpolavit, emendavit,
 auxit. Quinimo ipse Philosophus à Præceptoris sui Platonis placitis,
 quem per annos bene multos publicè docentem audiverat, non raris
 res sit, & nonnunquam, ubi à vero nimium abnormare putabatur, libe-
 re perstrinxit, præterque meritum in ipsum sæpe invehit.

Illà præferendam censent plerique horum seculorum Philosophi, si non à
 & per se, saltem in collatione judicij ad subtilius eruenda rerum prin-
 cipia

A

scipia nondum per naturam & et a tem apti. Ut enim Juventuti, quam-
diu seipsam regere nescit, Tutores praestantur, qui ipsorum res actio-
nesq; dirigant: sic praeposterum esse volunt, si quis cognitionis tutores
vetustate probatos admittere nolit; cum id quod perfectius est, imper-
fectiori mensura esse debeat. Hanc autem pra illa suq; deq; habent,
quod rara inventu sint ingenia tanta perspicacitatis, ut ad rimandas
rerum causas se penitent; quin potius affectibus & praconceptis opi-
nionibus se mancipare in praedictum veritatis asseverint.

At cordatior Philosophi hodie nihil hac distinctiunculâ permoti,
dimissa illâ, hanc maximè excolendam vel exemplo sudent, non qui-
dem eo sine, ut Sexagenarios, velut habet adagiò, de ponte deturbent,
aut eorum inventa temere exhibent: sed ut iudicio, calidè ipsorum
excogitatis formato & firmato, eadem exquisitiùs elaborent, accuratius
statuunt, & enucleatiùs proponant, ac ita reculas Tutorum
ope & operâ perbene excultas auctasq; in usum suum transferant.

Quare nemo spero, & hanc libertatem nobis invidet, quod horum
filia ductumq; secuti, Viam indagatricem quoq; hac vice elegerimus
calcandam. Nequè autem habeat, quod in alienam partem rapere
queat, in frontispicio expressè protestamur, hunc scopum nostrum
non esse, ut postliminiò inquiramus, aut novi quid adinvenire
cogitemus, nec ut sub examinis incudem olim inventis revocatis,
virgulam in ea censoriâ stringamus: Sed unicè huc respicimus, ut
Modum ostendamus, quo aut inventa est; aut inquiri debuit, aut
inveniri potuit nostra Philosophia. Hoc obtento, si concomitanter
& injussu nostro se manifestet, an inventa secundum partes omnes sit
sufficiens; vel biulca, ut plures addi adimive necessum sit: an secun-
dum gradus perfectionis in hac vitâ possibiles magis climari possit, ipsi
id Veritati tribuemus.

Methodo autem certâ hic alligare nos nondum possumus, quippe il-
la res jam inventas disponendo in Ordinem redigit. Nos verò easdem
quasi adhuc investigandas supponentes, rem ex primâ Origine dedu-
cemus, & ex ipsis fundamentis in sinu Naturæ latitantibus arces-
sentes, Naturam semel lacesitam eousq; persequi instituemus, do-
nec quod intendimus eruendo (faxit Deus ter Opt. Max. in ipsius
gloriam & veritatis illustrationem!) obtineamus.

S. 1. Duo

S. 1. **D**uo sunt ex rebus creatis, quæ quoties obtuentur, in sui admirationem contemplantem rapiunt, & ad penitentiùs ^{Ingressus} ^{eruens} ^{Funda-} ^{mentum} penficulariùsq; rimandum ultro invitant. Μακρόκοσμον scilicet & Μικρόκοσμον indigito.

S. 2. Μακρόκοσμος est Systema totius hujus Universi, quod jucundâ varietate contemplandum exhibet cœlum & terram, & omnia in hisce contenta, Spiritus & corpora, Elementa & elementata, Mineralia, Vegetabilia & Animalia, Substantias & Accidentia: Itim actiones hominum, & ab æmulâ naturæ ad imitationem ejus effecta opera cognoscenda proponit.

S. 3. Μικρόκοσμος est Homo, qui parvus Mundus, seu Mundi epitome dicitur, ob duas potissimùm causas. 1. Quòd omnia quæ in mundo sunt, in se quasi contineat; idq; intelligi potest tum ratione graduum Entis formalium, qui in Creaturis deprehenduntur 4. ut in Simplicibus & Mineralibus Esse; Vivere in plantis; Sentire in animalibus; Intelligere in homine, in quo simul omnes reliqui concurrunt: tum ratione analogiæ, secundùm quam partibus mundi membra hominis respondere volunt, ut Caput Cœlo & Astris, Terræ Truncum, Cor Soli, Cerebrum Lunæ & reliqua membra Phlegmatica; Spiritus ♀, jecur & sanguinea membra ♂, Semen, quæq; eò pertinent ♀, Bilem atram & membra Melancholica ♀, Cholericæ ♂. Sic Elementa inesse Homini dicuntur & Principia Chymica: Meteora quoq; repræsentantur per Vapores è stomacho in caput elevatos, indeq; per defluxus vicissim destillantes: Mineralibus lapides in vesicâ sæpe concresecunt. Sic Aristoteles Hominem, antequam perficiatur, primùm vitam plantæ, post animalis, & tandem hominis vivere scribit. Actiones quoq; & arte facta in totum ab homine pendent, ut non immeritò omnia in se analogicè continere dicatur. 2. Quia omnia, quæ in Mundo sunt per mentem seu Facultatem Intellectricem recipiat, & per Species seu Ideas repræsentata successivè cognoscat, adeoq; ipse idealiter omnia fieri dicatur.

S. 4. Hinc inter duo hæc resultat mutua quedam habitudo alterius ad alterum. Nam mens ex suâ naturâ non potest non ferri ad res objectas percipiendas; & Res suâ sponte se objicit homini ad

cognoscendum. Hanc autem intendit Natura naturans, DEUS, ut Homo rerum Dominus post cognitionem eas gubernare, & in usum suum convertere nosset. Res enim per se nullius esset usus, nisi sapienter Mens architectatrix adjecisset mentem omnia idealiter capientem, & inde dirigentem.

S. 5. Res autem in duplici statu attendi potest, i. quatenus in se consideratur antequam fiat mentis Objectum, Ille dicitur absolutus. z. Quatenus ad mentem refertur, & cognoscenda ipsi obicitur, qui dicitur Relativus. In hoc statu Res nomē permutat, & dicitur cognoscibile.

S. 6. Mentem quoque alteram istius habitudinis partē hic intelligimus Facultatem animæ rationalis tum cognoscentem tum appetentem unā cum omnibus ad eam spectantibus & habitibus & actibus, sive perfectionibus ad operandum & ipsis operationibus, sive in cognitione nudā subsistat, sive eam ad operandum dirigat, sive apprehendat, sive dijudicet.

S. 7. Hanc potentiam DEUS per Creationem homini addidit, varijs habitibus insuper exornatam & perfectam, ut particula quaedam imaginis divinæ in ijs refulgeret. Quemadmodum enim DEUS omnium rerum ideas reales eminenter in se habet, easque seipsum intuendo in se cognoscit; ita hominem per ideas seu rerum Species & imagines omnia cognoscere voluit.

S. 8. Illa Potentia per perfectiones istas ante lapsum omnia plenius assequi poterat, immo naturas rerum penitus introspicere, & ad essentias cognoscendo penetrare valebat, cujus rei Specimen exhibuit Adamus, quando non modò animalia, jussu DEI ad se allata, suis ex naturæ penitralibus depromtis nominibus insignire debuit; verum etiam Evam post somnum ex seipso esse transumtam, nemine revelante, cognoscere potuit.

S. 9. Hanc perfectionem miseranda illa clades generis humani per lapsum Protoplastorum invec̄ta planè sustulit, & potentias ipsas admodum lesit, ut jam post lapsum non amplius ad ipsam rerum essentiam cognoscendo provebamur, sed quasi ad extra vitrum lambamus, pultem non attingentes. Nam res per accidentia externa ex discursu duntaxat cognoscimus. Non enim Substantiam ipsam oculis usurpamus, sed nuda tantum Accidentia per sensilia communia
& pro-

& propria se offerunt sensui, unde Substantiam se percipere colligit ratio. Declarari hoc potest ex cognitione Infantili. Cum enim infans equum primum obtruetur, edoctus equum esse, speciem ejus menti imprimit, & in memoriâ recondit, pro naturali cognoscendi modo, ut quando ejusdem speciei Individuum aliud offeratur, inde resumit & applicari possit; aliàs enim non cognosceretur. At cum postmodum Asinus objicitur, Equum vocat infans, quòd speciem ejus semel conceptâ Equi speciei convenire putat. Unde patet ipsum naturam non introspexisse, sed ex conformatione partium Speciem utriusq; consimilem collegisse: Differentiam autem tam citò advertere non potuit.

§. 10. *Hanc ergo secuta est nunquam satù deploranda inordinatio in Naturalibus, quæ omnes Animæ Facultates pervasit, vastavit & corrupit, ut tantam perfectionem exciperet in Intellectu Ignorantia, in Voluntate ἀταξία, in Appetitu sensitivo rebellio & pugna ad voluntatem.* Ut enim rupto sanitatis vinculo, humores quasi sui juris redditi maximam in corpore animalis discrasiam causantur; ita postquam nexus integritatis per lapsum solveretur, non modò pristina perfectio planè est amissa, verùm contrariæ etiam imperfectiones quasi habituales successerunt. *Ceterum hæc explicare non est hujus fori, sed ad Reverend. Dominos Theologos pertinet. Ego verò ut cognita aliàs adduco, eo fine, ut alia inde elici queant, quia etiam (pro dolor!) in Naturalibus hunc defectum animadvertimus, adeoq; inde ansam de remedio cogitandi arripimus.*

§. 11. *Ut verò Facultates amissas, quoad in hæc vitâ fieri possit (de Naturalibus autem semper loqui me, protestor: non verò prout à Theologis considerantur) restauremus, & in statum pristinum quadantenus se vindicet Homo, Remedio opus est.*

§. 12. *Tale Remedium an inventu sit, & quale sit ut disquiramus, scrutanda veniunt illa, quæ in Naturâ per lapsum corruptâ manserunt residua: ex ijs enim quia alia non dentur, necessario elici debet. Hæc ergo, si sufficiant ad perficiendas potentias, & restauranda ea naturaliter, quæ amissa sunt, remedium dari posse nostro sequitur: sin minus, omnem laborem in indagando vanum & inutilem fore relinquitur.*

§. 13. *Quod autem confusè plura cognosci post lapsum possint; ex communi experientiâ nemini dubium est.* Nam remansit in Homine potentia intelligens, quæ apprehendere, & suo modo etiamnum dijudicare potest apprehensa, licet priscam perfectionem graduum amiserit. In Objectis quoq; nulla quoad cognitionem mutatio contigit, sed adhuc sponte se offerunt ad cognoscendum. *An v. confusa hæc cognitio ad distinctam revocari possit, id per disquisitionem primùm erui debet.*

§. 14. *In Naturâ autem post lapsum mansit 1. Sciendi appetitus, ille oritur ex Indigentia & ejus turpitudine cognita;* quia enim turpe putamus nil novisse, hinc ardor cognoscendi enascitur, qui quo major & intensior est in aliquo, eo nobilior censetur anima, seu potius animus. Hic igitur appetitus movet nos evitandæ propriæ turpitudinis gratiâ, ut indigentiam nostram eluere, & mentem, quâ fieri potest, perficere cogitemus. Cùm autem non per omnia possit esse frustraneus, eò quòd per naturam, quæ nil frustra agit, initus sit, sine suo omnino carere nequit. Unde jam primò probabile fit, humanâ industriâ posse acquiri id quod optamus

§. 15. *2. Reliquit Deus in Naturâ ex merâ suâ gratiâ Rudera quædam imaginis divinæ, ut inde perfectionem amisam aliquo modo, & velut ex umbrâ Lucem colligere possemus.* Sunt autem illa rudera Imaginis divinæ reliquiæ habituum amisorum, Ignicali Principiorum, Semina virtutum & virtutum. Hæc licet per obliquum videantur impugnari à nonnullis, dari tamen præter experientiam ipsa nos edocet Scriptura, cui fidem meritò habemus. Illa enim testatur Cordi humano inscriptam esse legem naturæ, quæ sine cognitione esse nequit, quod cùm non fit per regenerationem spiritualem, per generationem carnalem factum esse necessum erit. Non verò ita postliminio reducimus *Tabulam rasam Platonicam*, quâ in Intellectu omnium rerum ideas æctu possideri statuebat Plato, sed quasi oblitteratas & erasas, ut per reminiscentiam ex objectis menti oblatis resuscitari opus haberent, nam figmentum hoc est suâ futilitate ruens, nec refutatione indiget. Nec quoq; planè ita tollimus *Tabulam illam nudam Aristoteleam*, quæ post Aristot-

Aristotelem viri magni amplectuntur, & intellectui actu quidem nihil esse inscriptum, omnia verò (intellige idealiter & successivè) inscribi posse docent.

Si quis autem aurem hinc nobis vellicet quærendo, quomodo in hoc asserto Stagiritæ asurgere queamus, cum superius intellectui quid naturâ insitum dixerimus. Huic respondere possemus cum alijs, *distingvendo inter cognitionem acquisitam & congenitam*: Aristotelem loqui de cognitione Habituali & acquisitâ, juxta quam Potentiæ intellectivæ nihil realiter adhærere faciliè dari possit; nos autem hinc connatam & infusam respicere, per quam communes istæ notiones inesse dicantur: Hanc Aristotelem ignorasse; non verò per assertum suum negasse. Sed hoc responsum nondum solvit dubium, nam sive sciverit, sive ignoraverit Aristoteles (ad congenita ipsum respexisse tamen evidens est) in quæstione manet, quomodo Intellectus Tabula nuda, cui nihil inscriptum sit, dici queat, cum Scriptura Legem naturæ inscriptam esse expressè asserat. Ut ergo Aristoteli & ejus sequacibus sua, quantum fieri potest, constet autoritas, nec tamen propterea periclitetur Veritas, hæc res paullò altiùs excutienda erit.

In eo autem totius rei cardo vertitur, si perspicuè ostensum fuerit, *quid sint Notitiæ innatæ, quæ sit illarum Essentia, & quomodo insint menti, an per species, an alio quodam modo*. Hoc rectè ventilato, nodi hujus Gordij, resolutio ponè sequetur? Hinc autem varia statim se produnt sententiarum divortia. *Scaliger* vult esse *Species congenitas*, adeoq; ad modum Specierum inesse menti dicit. *Scholasticorum pleriq;* vocant *actum intellectus seu judicium & dictamen rationis*, quia potissimum in operatione Intellectus animadvertitur, ubi Propositiones generalissimas dicitat & simul dijudicat, quibus accedit cum *Dn. Hornejo M. Reinboth disp. Eth. 10.* Alij ponunt in *divina per se habilitate* ad faciliè apprehendendam, cognitionem principiorum, quæ ex occasione oblati objecti, etiam nobis non advertentibus, se ingerant menti principia, quæ naturâ nota esse dicuntur, quia omne recipiens denudatum esse debet à recepto. His subscribit *Jacob. Mart. Guik* & alij *Meisnerus* tandem cum Theologis plerisq; concludit esse *Habitu*, *ex naturâ totius, cujus*
pars

pars est, & quia permanenter menti inheret. Fatemur autē rē esse intricatissimam, nec determinatu facilem, quippe ingenia tot Viro-
rum celeberrimorum fatigat, ut circa veritatem in quadrivium se
præcipitent, à quorū singulorum sententiā recedere nobis aliàs
religio eset. At quia semel recepimus ex fundamentis omnia de-
ducere, salvā ipsorum autoritate, dicendum nobis erit quod res
est: ita tamen stilum accommodabimus, ut nullius opiniononi sim-
pliciter repudium inittamus, sed quantum fieri potest, modeste in-
ter se conciliemus. *Dicimus ergo cum Meisnero, si non sint Habitus,*
ceriè habituale quid esse, nam cum rudera & reliquiae sint habituum,
eorum naturam non planè abjecisse putandum est. Et hæc sententia,
tantum abest ut reliquas tollat, quin potiùs involvat ac præsup-
ponat. *Nā quia habitus perfectus non est, & tamen de ejus naturā, erit*
quædam dispositio, umbratilis propensio & aptitudo ad operandum,
quam tertia opinio propugnat, ac ita tolerari potest. Quod verò so-
lam *diverſiv* & vim propugnat, sit partim ex indulgentiori erga
Aristotelem affectu, ut nudam ipsius tabulam accuratiùs tueatur,
partim quòd secus Intelligentiæ habitum non facile salvari posse
timeat. Sed utrumq; extra periculum esse comperiemus: nam In-
tellectum Tabulam nudam cum Aristotele tamen profiteri possu-
mus, non quoad habituales istas reliquias; sed quoad Species, easq;
ne hic quòq; Scaligero adversemur, determinatas ac distinctas.
Nec Intelligentiæ Habitus ita periclitatur; nam Notitias connasci
dicimus, non habitum, qui acquiri debet, imò ne Principia qui-
dem integra, quæ naturā nobis nota dicuntur, ingenerari puta-
mus, sed tantum igniculos eorum, qui dirigant actum Intellectus
in combinandis & formandis ex occasione oblati Objecti princi-
pijs. At Intelligentia præter ipsa Principia promittudinem apprehendendi,
& revocationem ad Subjectum requirit. Nec obstat, quæ
contravenientium potissima ratio est, quòd recipiens à recepto
liberum esse oporteat, aliàs impediri receptionem novam, velut
ex sensibus edoceri possit. Nam ita falsum est, ut ne quidem con-
tra Species Universales Scaligeri, cum tamen omnes species velit
refutatas, aut gradus intensivos, obtineat. Nam genus non im-
pedit potentiam ad recipiendam Speciem, ne in sensibus quidem,
& calor

& calor duorum graduum non impedit intensiorem ad 3. 4. 5. &c.
gradus; præterea in sensibus aliam rationem esse, quis non videt?
Solam Ergo Potentiam seu Habilitatem non esse Notitias istas, li-
cet ipsi ob debilitatem valde sint affines, vel inde evidentè colligi
potest, quòd omnis cognitio, ut sit infallibiliter certa, præquirat
aliquod dirigens, quod Potentiam ne exeret, fulciat. Ad hoc verò
potentiam solam non sufficere, ex conscientia testimonio liquet;
cùm enim in actibus vitiosis Voluntas sæpe abnuat æquum co-
gnoscere, immò Intellectus judicium in errorem secum agat, illa
ex hisce igniculis animata, tanquam sibi non conforme fugit, dam-
nat, cogit ad assensum, & admordet, donec autores ejus igniculi Af-
fectuum turbine dissipentur, & quasi materiae densitate obruantur.

Cùm verò ob imperfectionem dictam *habilitas illa non prius
animadvertatur, quam in actu intellectus formante Propositiones Uni-
versalisissimas, i. e. in judicio* (nã jus naturæ secundum illos est in me-
ris propositionibus, & propositiones consistunt in judicio) *hinc se-
cunda opinio ortu habet. Huic id quidem concedimus, in actu exercito
& secundum operationem ita omnium primò adverti; at inde non
probat, quod in actu signato & secundum Essentiam ipse sint actus In-
tellectus*, nam hoc non sequitur: Animadvertitur Lex naturæ per
Propositiones meras in operatione Intellectus, Ergò est talis! & po-
sito quod supponitur, Propositionem esse formaliter judicium,
non sunt in solis propositionibus Notitiæ: sed quod Scaliger pro-
bat, per Speciem Universalem Milvij in pullo, cognitionem DEI &
alia, etiam in cognitione simplicium locum habent. Et sanè pro-
positiones præsupponunt cognitionem simplicium, quæ dirigat
actum componendi, nam operatio intellectus in componendo sæ-
pe errat. Notitiæ hæc verò sunt ab errore immunes, quale oportet
esse Principium dirigens; unde itidem constat, solum actum intel-
lectus non esse Notitias istas insitas, licet in eo primò advertantur.

Tandem *Habituale quia est, si non speciem, certè speciei quid-
dam analogon præsupponit, quod velut in acquisita notitiâ Species est;
ita hic tanquam medium & fundamentum internum cognitioni se
habeat: Sic prior opinio Notitias hasce apprehendit, quando ut
Species Universales menti inhaerentes concipit, & si vocem exci-
pias, in re parum à nobis diversi dicit.*

B

Quare

Quare concludimus. Notitias istas naturā nobis inesse, naturā nota esse, non quatenus natura opponitur doctrina aut revelationi, includitq; acquisitionem; sed quatenus opponitur acquisitæ Notitiæ. Earumq; Essentiam consistere tenemus in Habituali, quod velut acquisita cognitio pro fundamento assumit species, ita hoc ex imagine Dei igniculos quosdam potentiam perficientes, & in cognitione dirigentes residuos habeat. Ut enim ante lapsum non modò erat Potentiarum intensiva perfectio per habitus, sed etiam Habituum ipsorum perfectio ad excellentiùs operandum; ita jam hoc perfectionis nexu soluto, non tantùm perfectio Habituum & ipsi quoq; Habitus cognoscendi sunt amissi; verùm etiam, quemadmodum fert natura Privationum malefica, ipsæ Facultates graviter afflictæ sunt, contrarijs habitibus insuper investis. Attamen ex peculiari DEI gratiâ, rudera quædam relicta sunt, quæ de sui origine moneant, & in cognitione veri, ac appetitu boni Facultatem intellectuicem ducant. Hæc monstrant DEUM esse à quo orta sint: hæc Verum Bonumq; tanquam conforme sibi arripiant & appetunt: contra Falsū Malumq; tanquam difforme, & cum naturā suā imaginis DEI portiunculam referente non conveniens, repudiant. Hinc fit, ut Intellectu offerente Verum, & Voluntate appetente Bonum non advertantur, quia in eo quod sibi conforme est acquiescunt. At Falsis Malūq; obrutus, si Mens seipsam præconceptis opinionibus aut affectibus non effascinet, illa respuant & Conscientiam irritent. Hæc promptitudinem addunt menti, eamq; ita disponunt, ut ex rerum affinitate vel adversitate ob convenientiam vel discrepantiam cū portiunculâ Imaginis DEI in externis residuâ, Propositionis summæ Universalitatis & immota certitudinis combinare queat secunda mentis operatio. Nam non integra principia prima nobiscum nascuntur, sed tantùm semina & igniculi eorum, unde prævio Objecto Potentiam ad actum movente componi possint. Sic in hoc Principio, Honestum est bonum, oblato objecto (honesto,) quia innata virtutum semina sibi in bonitate convenire judicant, hinc actum mentis in componendo dirigunt, ut ad infallibilem veritatem inter se copulet. Ita & in cæteris. Ex hisce consequenter plura eruit & colligit tertia mentis operatio, quando ijs tanquam immotis cognoscendi fundamentis præsuppositis, per discursū syllogisticum alia sub his contenta assumit & concludit.

Cum

Cum autem ob Potentias labefactatas & habitus contrarios inductos, densitate quasi Materie obruta lateant, non nisi occasione objecti exterioris oblato in actum reducuntur, & evidentiam per Inductionem sortiuntur, ~~alijsque~~. Et hinc est, quod in secunda mentis operatione primum advertantur, quia ob debilitatem sue entitatis antea quasi in abdito sunt, sed in componendo effectus jam manifestus causam latentem arguit; nam in secundâ operatione peculiariter residet Veritas & Falsitas, & dijudicari potest manifestius. *Ex hæcenus dictis igitur liquet, quæ sit Essentia Notitiarum innatarum, & in quo subsistant: inde ulterius jam dispalescit, quomodo inhereant menti, non quidem ad modum specierum, velut ex superioribus manifestum evadit, sed ad modum habituum, ut qualificent, intendant quodammodo & dirigant Potentiam.* Nam quemadmodum Habitus jam acquisitus in actionibus subsequentibus oblato Objecto non tam perficit Potentiam (quippe antea quoad partes perfectus est) quam eandem in operando dirigit: ita quoque igniculi isti residui ex Habitu infuso mentem in cognitione dirigunt. Et ad hunc modum Tabula illa Aristotelis, quæ respectu Specierum tantum nuda denominatur, non tollitur, sed amicè cum Notitijs jam ex fundamentis suis erutis conspirat. Cum igitur ex origine suâ sint certissimæ & infallibiles; præsertim quando per firmam inductionem particularium in actum deductæ, & in compositione evidentiam suam nactæ sunt, tanquam Principia & Fundamenta immota se substernunt, unde id quod indagamus Remedium elici possit, modò accedat *Efficiens*, quæ ex hisce Principijs, per mota sciendi appetitu, id eruere sufficiat & satagat.

§ 16. *Donat sepe Hominem DEUS Lumine rationis peculiari, quo penitrat id, & promptè assequitur, quod aliorum obtusa acies in medio relinquere cogitur.* Potentia enim Intellectiva duplex in Hominebus deprehenditur, Prima & secunda. Prima est, quæ omnibus ex æquo inest, quia immediatè ex animæ essentiâ fluit. Secundæ autem sunt dispositiones ad promptè & expeditè intelligendum, quæ non sunt in omnibus æquales, sed in alijs excellentiores, in alijs segniores. Hæc dona Naturæ oriuntur partim naturaliter ex Temperamento seu permixtione humorum proportionatâ, cujus bonitas primariò ex constitutione Parentum in prolem derivatur, quoniam

quoniam quisq; Naturæ suæ sequatur semina; secundariò ab influ-
 xu astrorum dependet: partim supernaturaliter ab afflatu divino,
 quando Deus prævidet aliquem dona collata rectè collocaturum.
 Ut autem constet, quid per *Lumen rationis* velimus intellectum,
 notandù in Animâ hominis esse hæc sequentia. 1. Est *Substantia*,
 quæ est ipsa anima, quam ab effectu Rationalem vocamus, & di-
 citur *Actus primus Substantialis*. Deinde 2. est *Potentia Intellectiva*,
 quæ immediatè ab animâ prodit, & dicitur *Actus primus acciden-
 talis*: Hæc aliàs proprio suo nomine *Mens* saluari potest. 3. Est
Operatio, quæ interveniente Potentiâ à Substantiâ procedit, voca-
 turq; aliàs *Actus secundus*, & in potentiâ Intellectivâ propriè dicitur
Ratio. Hæc hæctenus in quovis homine sub primæ potentiæ titulo
 occurrunt. At quædam præterea in nonnullis accedit rationi tum sin-
 gulari promitudo apprehendendi, quâ celeriter satè excogitare ra-
 tionum causas, & momento quasi super rem totam fundere se & refle-
 ctere possit Intellectus; tum acrimoniâ dijudicandi, quâ inventa arctius
 pensare, & omnes circumstantias præponderare valeat. Illud nos (tro-
 picè) *Lumen rationis* appellamus seu Ingenium vel in Specie Judi-
 cium. Hoc sollicitat cognoscendi appetitus, ut de Remedio cogitet, No-
 titie innata gubernant. Cum ergò ex se promptum sit Igniculos il-
 los latitantes suscitare, & ex Objectis externis evidentiam quarere,
 nullum ampliùs dubium superest, quia Efficientis instar ex Mate-
 ria omnium rerum distinctam cognitionem, menti formaliter
 inhærentem, ad restaurationem *γνώσεως* & *εὐταξίας* amissæ eruere
 valeat. Et sic quod intendimus distinctè inveniri posse, immò &
 media generaliter subministrari constat, ex quibus cuen adjumen-
 tis colligi debeat, modò rectam insistamus viam, & ex ipsis naturæ
 fundamentis enucleare sciamus.

S.17. Quoniam ergò dari posse evictum, summo certè nisu investi-
 gandum esse, ipsa suadet Pietas, nisi hominem homo exuere velit; &
 optandum sanè, ut illi præsertim operas suas omnes certatim huc
 conferrent, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, quosq;
 intellectu inventore, qualem Melanchton nuncupat, provida Ma-
 ter Natura donavit. Iis verò cessantibus alios, licet minùs ab in-
 genio instructos, pro modulo tamen hoc laboris in se suscipere fas
 est: quos hic sequimur,

Quâ

apprehendatur, ab Intellectu *evendus* est. *Mens* enim non statim, advertit ordinem, sed *acquisitione accuratâ opus habet*, quando verò cognovit illum *in animâ*, *Methodus* dicitur. *Hec Methodus* id operam dat, ut *res in certas classes disponat*, quò post *distinctè* cognoscere possit. *Classes* respiciunt vel *communem essentiam*, juxta quam ad communem sedem revocari solent, quæ eandem naturæ rationem participant, quales occurrere solent, aut cerè debent in *Metaph. speciali*, ubi omnes Entis quasi species ordinatâ serie disponuntur, & vulgò sub nomine *Tabularum seu arborum predicamentaliùm* mutilatè proponuntur. Vel *cognoscibilitatè seu modum cognoscendi*, juxta quem etiã illa quæ diversæ sunt essentia, eodem modo ad mentem referuntur & cognoscuntur. *In hisce* postmodum occupabimur, jam scrutaturi *Essendi classes*, nam *Naturas rerum prænosce oportet*, antequam quo fine *Menti* sistantur edisfertare, sive quicquam aliud solidè extricare valeamus. *In Classes istas ut redigantur omnia, plures actus speciales requiruntur*, ut

§ 12. (α) *Res per sensus Intellectui offerantur*. *Animâ nostrâ* ea est conditio, ut quia in corpore habitat, *res ipsas* percipere nequeat; sed *per imagines & species* eas cognoscit; has verò *per sensum* ad eã deferri necesu est, vnde in acquisitâ notitiâ nihil esse in intellectu dicitur, quin priùs fuerit in sensu, sive *per se*, sive *per aliud*. *Omnes autem res*, quæ circumquaq; sensibus apprehenduntur, sunt *singulares & Individuales*: nam quæcunq; occurrunt, per actionem aliquam, producta sunt, sive *Dei* sit, sive *Hominis*, sive à *Naturâ* profecta, vel ab arte. *Omni autem actio terminatur ad singularia*, sive *Substantiâ* producat, sive *évêççia* eliciat sive opus relinquat: hinc *sensus* res istas collustrans *Singulariũ tantum esse dicitur*. Quoniã verò ita in infinitam ferè multitudinem se diffundunt res, non possunt capi ab intellectu, immò nec sensibus omnia objiciuntur, cum plura sint, quæ non videmus, audimus, tangimus &c. quàm quæ videmus &c. Hinc *de Medio quodã sollicita esse debet mens*, quò *pluralitas istarum ad pauciora restringi possit*. De hoc autem medio prospexit nobis provida illa mater *Natura in ipso intelligendi modo*, nam ita formavit Intellectum, ut ex innatâ fœcunditate pluralitatem illam cum paucioribus permutet, quando loco *rerum terminos plura involventes supponit*. Hinc

§. 23. (B) *Res singulares ad Universalia revocentur. Singulare*
quid sit, & quousq; se extendat, ex superiori S. patet, omnia enim
quæ sensibus percipiuntur, complectitur. Hæc ad *conceptus com-*
*muniore*s reducuntur, ut sint *pauciores Termini*, pauciora prædica-
ta, quæ tamen omnia includant, & quasi in compendio menti re-
præsentent. *Quomodo autem hoc fiat*, propriè quidem hujus loci
non est excutere, attamen breviter ut declaretur, abs re esse non
puto: quippe ex Fundamentis omnia deducere œcepimus. *Fit au-*
tem per medium Abstractionis, de quâ alibi, si forsita tulerit, fusiùs
disserere animus est, jam strictim persequemur. *Res in statu suo re-*
lativo, quo *Objectum cognoscibile* dici supra ostendimus *offertur, sen-*
sui, & mediantibus accidentibus spargit sui speciem per medium ad sen-
sorium usq;, in quo dum recipitur, *Species sensilis* dicitur, quæ ad-
huc *conditionibus individuantibus* est immersa, nam illi *Materiæ &*
Subjecto, à quo certo loco & tempore ad sensû defertur, est alliga-
ta. At verò *Intellectus* superveniens *oblata in Phantasiâ speciem*
depurat, separando conditiones individuantes Hæc Nunc & Hoc, &c.
& suâ irradiatione efficit inde *speciem intelligibilem*, quæ jam non
ampliùs certo Individuo adstricta est; sed *immateriali & incorpo-*
rea redditur, omnibusq; ejusdem Naturæ conformis. Hæc *species*
manet & reponitur *in Memoria*, ut & alijs ejusdem speciei Individuis
applicari possit, quando occurrunt in alio loco, tempore & materiâ
numerò distinctâ. Sic ut rem exemplo declarem, *Elephas*, qui an-
te annum hîc circumducebatur, Res erat singularis, plures autem
esse, licet non viderimus, nec unquam visuri simus, qui æquè ta-
men cognoscibiles, nullum est dubium. Hic ergo mediantibus ac-
cidentibus, *Figurâ externâ & colore*, speciem sui objiciebat Ocu-
lorum sensui, qui in sensorio (retinâ) receptam in sensum commu-
nem, ac ultra in Phantasiâ transmittibat, ubi adhuc speciem determinata
erat ad illum quem nos vidimus Elephantem, in certo loco & tem-
pore. Hic Intellectus offendens speciem illam, etiam nobis non
advertentibus, ex suo naturali intelligendi modo, depuravit ab
omnibus circumstantijs singularibus, & impressit in *Paciente seu*
Memoriâ (non enim locis sed functionibus tantùm differunt)
Intellectivâ, hinc Speciem illam adhuc nobiscum circumgerimus,
& quoties collubitum est, revocare & contemplari possumus, quo-
verò

verò firmior est vis imprimendi in hoc, quàm in illo, ob Spiritus fortiores, eò firmiùs hæret, & faciliùs ac accuratùs se exhibet contemplanti. *Hæc species est universalis ille conceptus, qui per abstractionem à singulari quidem formatus menti inheret, qui non amplius conditionibus individuantibus obnoxius est, & hunc Elephantem considerat, sed Elephantem, in se & naturâ suâ, quatenus jam definitus, quiq; omnibus ejusdem speciei Individuis oblati vicissim applicari potest: ita & in cæteris è Singularibus Universalia colliguntur, sicq; pro plurimis pauciora substituuntur. Hæc deinde Universalia in Disciplinis tantùm pertractantur, quia æterna sunt & immutabilia ac Modo intelligendi propiora. Individua verò, quòd infinita ferè sint & interitui obnoxia, inde remouentur. Quoniam verò Mens adhuc satis multa esse videt, & fundamentum simul in re advertit, quòd magis restringi & contrahi possint. Hinc*

(γ) *Homogenea ad eandem classem colligantur. Homogenea autem hic sunt, quæ eandem naturam participant, & in aliquo Essentiali conveniunt, adeòq; cognationem genericam ad invicem habent. Hæc cum dari invenit Intellectus ad communiores conceptum sub majori Universalitate revocat, & hanc operationem toties iterat, donec omnem pluralitatem quæ erat ejus generis ad unam summam & communem basin contraxerit. Quæ Via ab alijs similitudinè in Modis inveniendi nuncupatur, nam quæ quoad Essentiam similia videntur, in unam Naturam congregat, eaq; adhuc ut concreta intelligit, necdum enim Substantiam distinguit ab accidentibus ejus: sed confusè omnia sub uno conceptu ob dictam similitudinem involvit. Sic quando per superiora ex aliquot Singularibus Universalia invenimus, & ab hoc homine, equo, bove, cane, speciem Universalem abstraximus, scilicet hominem, leonem, bovem in se &c. advertimus omnia hæc ulteriorem cognationem ad invicem habere, adeòq; adhuc in superiori conceptu convenire posse, qui singulis essentialis est, ideoq; imponimus omnibus istis conceptum Animalis. Ac quando deinceps latius conferimus cum Arboribus, Metallis, Lapidibus, &c; videmus essentialiter coire in conceptu corporis: corpora tandem collata cum Spiritibus in conceptu Substantiæ: in quo jam omnigena varietas earum rerum quæ per se subsistunt ad unum stipitem revocatur, à quo ulteriùs*

ASCR-

ascendere non licet, hinc ab hac parte classe constituta, ad alia per-
gimus. Quoniam verò in hisce concretis simul notentur plura que
planè alia sunt, seu aliam naturam habent à substantijs distinctam,
quia substantiæ absq; his subsistere, immo sæpe realiter separari
possint; hinc ob vitandam confusionem seorsum consideranda judi-
cantur. quare.

§. 25. (d) Heterogenea in diversas classes sejungantur. Heteroge-
nea autem sunt quæ sunt diverforum generum, seu quæ in nullo
planè quoad Essentialia conveniunt, hinc necessariò in diversas
classes, tanquam nullo familiaritatis nexu sibi invicem obstricta,
disjungenda sunt. Hæc via ab alijs Separationis denominatur, quòd
cognitione separet, quæ aliàs in subjecto conjuncta sunt, nam primò
olim conceperant hominem confuse unà cum suis Accidentibus,
ut modò diximus; postmodum autem, quia adverterunt eundem
modò calidum, modò frigidum, modò sub parvâ, modò sub ma-
jori staturâ, modò rudem, modò doctum, modò ambulantem, mo-
dò sedentem, &c. conjecerunt aliquid esse in re, quod non sit ipsa
res, quia hoc permutato res ipsa tamen talis manet, qualis ante
erat hinc dijungere ceperunt; quæ diversa animadvertebantur. Et
quia satis multa observarent, quæ ita realiter ab invicè sive in hoc,
sive in illo subjecto separari possent, inde eodem procedentes modo,
de quo supra in Homogeneis dictum, Quantitatem à Qualitate, &
hanc ab actionibus, alijsq; Denominationibus distinxerunt, atq; sic di-
versa in diversas classes retulerunt. Quoniam verò adhuc alia sub-
ministrat rerum series, quæ non statim sensui se offerunt, nec à priori
verùm aliunde cognosci debent, hinc

§. 26. (e) Ignoriora per discursum mentis eliciantur & superioribus
admisceantur. Ignora autem illa hinc dicimus, quæ non per se primò,
sed per comparisonem ad alia obscuriùs intelliguntur, & in quibus
per remotionem vel assimilationem &c. Species ab alijs colliguntur.
Quandoq; enim res ipsa quidem sensibus exhibetur, sed non statim
unà se ingerunt menti ejus proprietates effectus causa &c. Quan-
doq; contrà effectus rei, propria, similia, opposita, gradus aut alia
dantur cognita, & ex his ipsam rem venari oportet, ut videmus in
animâ nostrâ, &c. Hæc ergo per discursum mentis seu naturalem
deductionem elici debent, ut addantur alijs, nec ab hac parte mutila-
quodam

C

quodam

quædam observatio metuenda. *Alij per Viam triplicem* hoc præstari censent. 1. *Per Viam Resolutionis*, quâ rem quasi resolvimus, & resolvendo *causâs ac principia* indagamus, ex quibus alia ulterius deducere licet. Sic Aristoteles in *Physicis* Corpus resolvit in materiam & formam, ut ex istis tanquam Principijs deinceps affectiones corporis deducat. 2. *Per Viam Compositionis*, quâ rem cum re conferentes, inde *passiones & effecta* colligimus. Sic Homo, quia animal est, sentit, vivit; quia corpus, quantus, in loco est; quia rationalis, est disciplinæ capax, &c. 3. *Per Viam proportionis*, quâ per similitudinem & collationem ad aliam rem percipimus, non tam positivè quàm negativè, non tam cognoscendo quid sit, quàm quid non sit expendendo, non tam per propriam speciem quàm per alienam. Ita quædam hâc viâ cognoscimus ob summam eminentiam & perfectiorem, ut DEUM; hunc enim non tantum viâ causationis esse intelligimus, sed etiam viâ negationis removendo imperfectiones quid non sit, invenimus tandem viâ perfectionis accumulando omnes omnium perfectiones, esse summum & perfectissimum Ens, quod ob summam suam excellentiam per propriam speciem apprehendi nequit. Hinc sub specie Senioris canitie venerandi, vel si magis ad naturam spiritus respiciamus, sub alicujus tenuioris halitus imagine concipimus. Quædam verò ita cognoscimus ob summam imperfectionem & debilissimam entitatem, ut materiam i. Peripateticam, quam non nisi per resolutionem Elementorum capimus: id enim quod tum velut subjectum mutationis substat, quando ipsa inter se transmutantur, materiam primam esse dicunt. Huc quoque si placet, revocari possunt imperfecta illa, quæ nihil propriæ entitatis in se habent, & per assimilationem speciei nudam, aut fictionem concipiuntur, ut sunt Entia potentialia, privationes, rationis, &c.

§. 27. Quoniam verò in hisce actibus ut & alijs ex multiplici causa Error obtingere, & confusio suboriri potest, prospiciendum, ut Media inveniantur, quibus Intellectus dirigi, & in suis functionibus ne exeret, juvari possit. Nam sensus in errorem facile labuntur, si vel Facultas sentiendi non sit integra, vel obiectum sit improporionatū, vel organum lesum, vel medium indispositum, vel intervallum non accommodatum. Et hinc etiam Intellectus tam ob hanc sensuum imbecillitatem, quàm Obiecti sublimitatem, obscuritatem, exiguitatem, facile abnor-

abnormat, tum in hac apprehensione simplicium, tum in compositione & divisione, quando vel objecta ob dictas causas nondum perfecte penetravit, vel per Inductionem omnium particularium nondum solide firmavit, sed opinionem tantum nactus est, tum in discursu, unde medijs divergentibus opus esse liquet.

§. 28. Quod verò dentur talia quæ cognitionem suam facilitens & certiore reddant, solerter advertit Rationis lumen, nam quando rerum omnigenam varietatem in superioribus essendi classibus ita paullulum contemplatur, observat dari diversos actus abstractionum & collationum ad invicem; itum rem cum re variè combinari, ac alia ex alijs elici posse, quæ ut ab invicem distinguantur, nec confusionem concipienti pariant, peculiaribus ob reflexionem istam conceptibus & conceptuum notis indigent: hinc conceptibus istis adia-venit & fabricat convenientia nomina, quæ Notiones secundas vocamus, eaq; si actus recipientes seu cogitata rectificare intendant, Logica, sin verò actus proferentes seu symbola conceptuum & sermonè dirigant, Grammatica & Rhetorica denominantur. Deinde quia non uno actu ex lustratione omnium rerum omnia se assequi & penetrare posse intelligit, sed pluribus repetitè & distinctè realibus actibus ad majorem certitudinem opus habere judicat, hinc distinctos illos actus distinctim concipit, & tanquàm Media suis operationibus accommodat. Inde duplicis generis Media seu instrumenta exsurgunt, quibus in rerum inventionem solide examinandâ Intellectus carere nequit.

1. Realia, quæ ex iteratis actibus prodeunt- 2. Intentionalia, quæ ex Intellectus in se reflexione colliguntur. Intentionalia autem, quia omnes mentis operationes juvare debent, secundùm omnes illas fabricanda sunt. Actus mentis autem tres sunt: nam in cognitione Intellectus primò apprehendit terminos simplices: deinde apprehensos conferendo componit & dividit i. e. affirmat vel negat: Tertio ex collatis aliis adhuc ignota per discursum elicit. Hæ operationes quidem naturales sunt, & in Rusticis etiam deprehenduntur, qui seipsum non advertentibus taliter discurrunt, unde Logica naturalis oritur. At hæc cognitio, quia valde imperfecta, languida, confusa est, nec ipse Rusticus se cognoscere advertit. Intellectus ut distinctius cognoscat, & se distinctius cognoscere sciat, in se rediens, & quasi reflexus ad singulos actus & singulas partes cognitionis ipsis

imponit & applicat distincta nomina, quo ea, quæ diversis actibus vel diversimodè cognoscuntur, ab invicem discernere, & cognitionem organicè ita facilitare possit. Sic in prima mentis operatione seu Apprehensione simplicium ita juvat cognitionem, quando impossibile omnium singularium notitiam effugiens, sponte suâ Universalia pauca inde format, ut ostendat, quod in hæc primâ abstractione mentis, singularia sub alio nomine Individua, Universalia species specialissima organicè nuncupari possint. Deinde in majori & superiori abstractione, quia plures sæpe dantur actus ejus, qui confundi non debent, ad Notionem Generum reducit, & sub ejus naturâ inter se confert & cognoscit. Et cum alia adhuc in rebus advertit, quæ ad unam Notionem conveniant, quædam ad nomen differentiarum redigit; alia sub Propriorum, alia sub Accidentium titulis cognoscit &c. In secunda Mentis operatione Compositionem & Divisionem ita faciliat, ut Homogeneam rerum affinitatem affirmatè conjungat, & Heterogeneam disparitatem negatè dijungat. & sub variis enunciandi formis ac modis ab invicem distinguat & dijudicet. In tertiâ operatione discursum sublevat, partim inferendi mediis solidè instructus, partim ordinandi accuratam rationem edocuit. Hæc sunt Intentionalia Media seu Instrumenta, quæ hic quidem seorsim proponuntur, at generalia sunt, & ubivis etiam in aliis applicari possunt & debent. Quod huc autem reponantur, fit, quia per superius Memb. 1. in procedendî modo, primò quasi advertuntur & innotescunt, indeq; tanquam ex suis fundamentis ita monstratis eruuntur. Imprimis autem hîc attenduntur primâ Operationis Instrumenta, quæ in simplicium cognitione adhuc occupantur; reliqua verò non nisi consequenter, & secundariò in obscurioribus occurrunt; in sequentibus membris autem usum habebunt majorem.

§. 29. Davi præter hæc alia Media scilicet Realia, quibus ut Instrumentis cognitionis, at realibus etiam Intellectus uti possit, ex superioribus consistit: nam non solum facilitanda est per intentionalia cognitio, sed etiam certior & ab errore liberior reddenda per Realia. Cum enim unâ vice Intellectus sufficienter informari nequeat, consultum est ad errorem declinandum, ut per iteratos actus Rerum naturam & diversitatem accuratiùs observet, observata conferat, & inde

inde certi quid colligat, hinc tria se manifestant *Media*. 1. *Acurata Observatio*, quam Historiam alii vocant. *Hæc* singularia apprehendit, & quidem adminiculo *sensuum*, præsertim *disciplinarium*, quales sunt *Visus* & *Auditus*: ille enim *per visum* pleraq; contemplanti exhibet; hic *per Auscultationem* non pauciora oggerit: unde occasionem plura inquirendi & inveniendi arripere possumus. *Observationem* sequitur 2. *Enquisita Collectio*, quæ plures observationes aggregat & applicat, donec dissimile exemplum non amplius obveniat, unde nascitur 3. *Firma Inductio*, quæ Univerfale integrum efformat. Et hæc in genere *Experientia* salutatur.

§. 30. Hoc *Modo procedendi* jam ritè observato, & *Mediis* ubiqueq; adhibitis tam *Realibus*, quàm *Notionalibus*, *Res omnes*, quod exigebat primum membrum, in *ordinem* facile cogi, & *secundum classes* *Essendi* ordinatè disponi possunt: nam *Lumen rationis* *Res confusè propositas* cognoscit, & *quæ sunt ejusdem generis* observat, colligit, ac inde *per Inductionem*, mediante *abstractione* *Univerfalem conceptum* efformat itaq; *Nomina* *secundarum notionum* impunit. Deinde in aliis *Individuis* observatū & *collectū* consimiliter procedit, utq; dum omnia *Individua* ad *species* contraxerit, eaq; nominibus *species* & *Individuorum* distinxerit. Hinc *species* inter se confert, & *per abstractionem* *ulteriorem*, *Univerfalia* elicit *genera*, *collateralibus* ubiqueq; adjectis, utq; dum ad *summa* perveniat in *Homogeneis*. Deinde in *Heterogeneis* quoq; eundem processum observat: primum colligit *per Inductionem*, *separat à subjectis*, & *inter se distinguit*. In *distinctione* itidem *Singularia* ad *Univerfalia*, *Univerfalia* & *Univerfaliissima* revocat, donec *appositis* *apponendis*, & *rectificatis* *rectificandis*, omnia *integre fuerint disposita*. Ita, inquam, disponi possunt: Verùm expectant adhuc suū *Herculem*, qui seriò manum operi admoveat, & tantū facinus publicè aggredi ausit. Nostra enim ætas, nescio quâ ratione inducta, hoc *ulcus* tangere non permittit. Quantas verò præstet utilitates, illi, quibus huic *Naturæ* *scrutinio* *privatim* indulgere *volupe* est, percipiunt. Nos interim ad *Membrum* 2. progredimur.

§. 31. II. *Res ordinatas ad Objecta cognoscendi genera* *lia* *revocat*. Adumbratis ita *Essendi Tabulis*, ad *Cognoscendi* *classes* *provehimur*. Quando ergo *Rationis Lumē* *res omnes*, suo quâq; *loco* & *ordine* *distribuit*, tunc *juvandâ* *contemplatione* *carum* *se* *oblectat*.

oblectat. Attendit in substantiis Spiritus & corpora; illustrat cœlum cum suis stellis; considerat Elementa & Elementata; Mineralia, Vegetabilia, & Animalia. Confert itidem Accidentia, tum ex Materiâ promanantia, ut Quantitates: tum ex Formâ resultantia, ut Qualitates: tum ex Suppositō, ut Actiones: itimq; reliquas Denominaciones. Advertit etiam opera Artis naturam æmulantis. *Hac accuratè & diligentissimè inter se confert, expendit, examinat; donec plenè dispiciat, quæ in quibus, quoad cognoscendum convenient, & in quibus differant; quæq; uno cognoscendi modo mentem subeant: nam illa ad unum Objectum Cognoscendi generale revocari, quæ verò aliter atq; aliter cognoscuntur, mentem distrabere, ideoq; ad diversa Objecta sequestrari debere, dubium non est. Objectum enim cognoscendi generale nil aliud est, quam Aggregatum rerum, quæ uno eodemq; cognoscendi modo Menti representantur. Hinc prævia animadversione invenit in Realibus Res quasdam cognosci per solam Fidem & Revelationem; quasdam per rationem ejusq; operationem. Has, ut Theologicè considerantur, sequestrat. Hasce autem ulterius expendit, & advertit ex illis quasdam cognosci ut cognoscantur, seu in cognitione ultimato subsistatur. Sic Substantiæ Quantitates & Qualitates sunt comparatæ. Illa enim si tantum cognoscat Mens, acquiescit, nec ulterius quicquam tentat. Alias verò ut ad Operationem extendantur, velut Actiones Liberas, in quibus præter cognitionem perfectivam voluntatis requiritur, ut ipsa appetendo operationem eliciat, inferiori facultati demandet, adeoque totam actionem transeuntem dirigat, usq; dum nondum sensibus externis exponatur. Nonnullas ut efficiantur, & secundum præconceptam Ideam consimile opus externum producat. Hinc in 3. Classes cognoscendi digerit, scil. Contemplabilem, quæ in sola contemplatione subsistunt; Agibilem, quæ ad intra Voluntatem agendo perficiunt; & Effectibilem, quæ ad extra opus externum reale, & in sensus incurrens, post se relinquunt. Ad has Classes revocantur commodè omnia, quæ suppeditat universa rerum series, plures autem ne fingi quidem possunt. Quia verò in Contemplabilibus nimis multa occurrunt, ea, ut adhuc magis digerantur, accuratori lustrat operâ, & observat dari in illis nonnulla, quæ nudè tantum intellecta, statim vera esse deprehenduntur. Alia itim, quæ*
per

per Demonstrationem eliciuntur, quibus collectis, deprehendit adhuc superesse alia quædam, quæ quidem demonstrari non possunt per causam, nec tamen solâ intellectione verificentur, sed peculiari quodam modo ex Principiis primis investigentur. Hinc Contemplabilia particulariter in 3. partes subdistinguit, *Intelligibilem, Scibilem, &* (liceat mihi ita ob penuriam vocum loqui) *Sapibilem*. Unde quintuplex in universum *Differentia formalis in cognoscendo* in rebus animadversa oritur. 1. *Intelligibilia* sunt, quæ nudum tantum assensum requirunt, evidentiam ex Objectis petita: ut Totum esse majus quavis sua parte. Equalia aequalibus addita constituere equalia. Deum esse colendum &c. Hæc enim, quamprimum audiuntur, absq; ulteriori Intellectûs operatione ut veras assumuntur. 2. *Scibilia* sunt, quæ *Affectiones de rebus per causas demonstrant*, ut Hominem esse disciplinæ capacem, quia instructus sit animâ rationali. Exempla plura peti possunt ex Physicis, Pncumaticis, Mathematicis. 3. *Sapibilia, quæ conclusiones summas ex principiis primis verificant per Terminorum formalium explicationem, & ad contradictionem reductionem*. 4. *Agibilia, quæ rectâ ratione præviâ ad honestatem dirigenda*, ut oblato objecto quod ad actum invitet, ductum virtutis sequamur, & cupiditatibus obluçantibus moderemur: 5. *Factibilia, quæ in agendo non subsistunt, sed opus externum produciunt, formam artificialem in Materiam præjacentem instrumentis corporeis introducendo*. Ut Sartor conficiens vestem; Sutor calceum. Cum ergo sint tot cognoscendi Modi, tot quoque Objecta cognitionis in genere constitui debent, unde cætera consequenter deducenda.

§. 32. Media autem, quæ hîc Intellectum in operando tanquam Instrumenta adjuvant, ferè non sunt alia, quàm in superiori Membro occurrebant, nam idem ferè processus hic observatur. Accedit tamen, ut, quod in uno invenit, cum aliis sæpè conferat, & per discursum accommodet; hinc præter Intentionalia, Duo Media seorsim nominari possunt πείραξ scil. & λόγος seu *Experientia & Ratio*. Illa vi Inductionis primum omnia rectè colligit. Hæc per Sylogismum cum aliis confert, & reliqua persequitur, id quod per se manifestum est.

III. Objecta

§ 33. III. *Objecta revocata Habitibus accommodat.* Quinq; *Objecta generalia, ex varietate rerum formali, ob alium atque alium cognoscendi Modum invenimus, hac ulterius accommodanda dicimus: nam non sufficit ad mentis perfectionem nosse quod sint Objecta, nisi applicentur Menti, quod nisi per Habitum fieri nequit. Habitus enim est qualitas perficiens potentiam perfectibilem in cognitione sui Objecti. Hinc in genere quinq; Habitus totidem Objectis respondere consequitur: nam diversa Objecta diversimodè etiam potentiam perficiendo efficiunt & disponunt. Et ex hoc fundamento oriuntur & statuminantur quinq; illi Habitus, quos Aristoteles posuit 6. Eth. Suntque Intelligentia, Scientia, Sapientia, Prudentia & Ars. Intelligibilia enim constituunt Intelligentiam, unde Habitus Intelligentiæ prodiit, quæ pro Objecto sibi vendicat, ea quæ nudè intelliguntur; qualia sunt Principia i. ex rerum affinitate spontè fluentia. Scibile verò Scientificos Habitus, qui pro Objecto agnoscunt res necessarias & demonstrabiles; ut sunt Spiritus, Corpora, Quantitates. Sapibilia efficiunt Sapientiam, cujus Objectum sunt Res Universalissima & abstractissima, involventes primum conceptum Entis, quæq; ei immediate insunt & subsunt. Agibilia constituunt Prudentiam, quæ pro Objecto habet Actiones hominum liberas, & honestate imbuendas. Factibilia Artes, quarum Objecta sunt varia opera externa, ad imitationem Nature concinnata. Tot igitur Habitus sunt, nec plures dantur, nec pauciores (de Realibus enim hic loquor, non de Instrumentalibus). Tot ante lapsum Hominem perfecisse in externis, tot amissos, tot iterum recuperandos esse relinquunt, donec Mens perficiatur. Non ergo satis est scire quot sint, & quomodo Objecta illis adjudicari debeant, sed præprimis requiritur applicatio distincta, per quam potentia ad actum sufficienter instruantur. Hoc illud est, quod unice intendimus, quo obtento Mens facile acquiescit. Hæc autem Applicatio requirit*

§.34. *Media, quæ hic sunt Φύσις, μάθησις καὶ ἄσκησις seu Natura, Doctrina & cultura.* Primò enim præsupponitur Natura quadam bonitas & propensio, quæ subiectum idoneum reddit ad capiendos Habitus.

t. 116.

tus. Hæc oritur Physicè ex Organorum conformitate & humorum temperatâ mixturâ, si scilicet ex Humore Melancholico cum cholericis permixto, & modico sanguine diluto Spiritus oriuntur. Illi enim propter bilem flavam celeres sunt in apprehendendo, acuti in dijudicando, propter atram bilem fortes in imprimendo, ac stabiles in retinendo, hinc singularis Ingenii & memoriæ felicitas oritur, quæ tamen ob diversam temperaturam rarè in uno subjecto coeunt. Astrologi causam deducunt primariò ex constellatione Mercurii, ejusque configuratione ad Lunam, quia ille Pater Spirituum; hæc humorum Domina, sed hoc suo loco relinquimus. Hanc Naturæ idoneitatem dirigit 2. *Doctrina, quæ occasionem ulterius disquirendi & proposita examinandi subministrat.* Ut enim simpliciter in verba Magistri jurare, & Pythagoræorum illud *ἀντὶς ἐφα* revocare per libertatem Philosophicam non tenemur; ita tamen non temerè aut oscitanter rejicienda Doctorum autoritas, nisi nos cogat Aristoteli & Platoni præferenda veritas, aut inspecta Methodi ratio facilior & compendiosior diversum suadeat: cum enim nos ipsi omnia contemplari non possimus, hæc succurrit, & occasionem variorum conceptuum suggerit, qui aliàs in mentem fortè non venissent; unde sancta meritò nobis censeri debet. Hæc autem tum ex Mutorum Magistrorum assiduâ lectione, tum præsertim vivæ vocis auscultatione animum erudit, & informat. Hanc tandem consummat 3. *Cultura, quæ oritur & consistit in continuato contemplationis & actionis usu ac exercitio.*

§ 35. IV. *Habitus cognitos in Disciplinas redigit. Hoc jam ad conservandum inventum Scibile pertinet:* Cum enim vel ex indefesso studio, vel peculiari dono Dei aliquis boni quid ad perfectionem mentis invenerit & consecutus sit, hoc sibi non solum datum esse meminerit, quia non nobis tantum nati sumus: sed publico bono in literas referat conceptus suos, & ad posteritatem transmittat; Non quidem eo fine, quod putet inventa sua omnibus numeris esse absoluta, sed ut subsequatur ætati ansam ulterius disquirendi, examinandi, expoliendi præbeat. Quando verò illa conspiciantur, quæ ad unum commune Objectum revocantur, eaq; in ordinem

D

dinem

dinem convenientem digeserit, quod inde oritur ordinatum Systema, Disciplinam vocamus. Hac obtentâ in via Auscultativâ mens acquiescit. At nostro modo acquisitâ perfectione partium, ad perfectionem graduum in hac vitâ possibilium pro humani ingenii modulô adhuc intenta est, & si hoc quoq; modo jam perfecta videtur, ut quo ulterius pergat acies mentis, non habeat, illud ipsum resolvendo, examinando, & eruendo sibiipsi & alijs ob oculos statuit. Cum verò in nonnullis Habitibus plura inveniuntur, quàm quæ ad unum commune genus revocari possint, plures Discipline, quàm sunt Habitus necesariò constitui debent: nam Habitus ex Modis cognoscendi diversis constituuntur; at in nonnullis sub uno cognoscendi modo stant, quæ diversam naturam habent, & diversum procedendi modum. Hinc in unam Disciplinam illa aggregari nequeunt, quin rectius distinguantur in diversas. Proinde si excutiantur s. illi Habitus. 1. Intelligentia habet tantùm Principia prima, sive Theoretica, sive Practica, sive Poëtica sive Nômatica fuerint. Hæc autem quia ad unum commune genus revocari possunt, unam tantùm Disciplinam constituent, scil. Noologiam. Sic Sapibilia, quia pertractant res Universalissimas & Abstractissimas, quarum plures dari contradictionem implicat, unam absolvunt Disciplinam, quam vocant Metaphysicam, rectius autem *επιστολογίαν*. Hi ergo habitus, cum ex Modo cognoscendi uniformia tantùm habeant Objecta, singuli singulas gignunt Disciplinas. At reliqui sub uno cognoscendi Modo, res plures Heterogeneas adducunt; unde in unam coalescere Disciplinam nequeunt. Sic Scribilia, quia Objecta habent Corpora, Spiritus & Quantitates, quæ planè diversa sunt, diversa principia & Affectiones habent, hinc non in unum chaos compigi possunt, sed in diversis Disciplinis, proponi debent. Inde Corpora Physicam; Spiritus Pneumaticam; Quantitates Mathematicam constituunt. Ita Prudentia quoque, quia Agibilia sua applicat ad diversos fines, videlicet ad Honestatem, Aequitatem & Pietatem, exsurgunt diverse Discipline, ut Philosophia Practica, quæ pro parte Generali agnoscit Ethicam, pro parte Speciali Politicam & Oeconomicam. Deinde Jurisprudentia & Theologia.

gia. Sic Artes tandem varia Objecta admittunt, unde oriuntur Medica, Mechanica, Architectonica, Sartoria, Sutoria &c. Unde consequitur hoc esse, *Disciplinas constituendas*, non quot sunt Habitus, sed quot sunt *Objecta disciplinaria*, seu quot sunt *Objecta*, quæ secundum proprium considerandi Modum alia admittunt constituenda seu Principia, denominantia seu attributa & Affectiones, & Contrahentia seu Species. Modos aut hisce analogum quid. Plura ad Disciplinam referri non possunt, quia vel alia Principia, vel alium deducendi Modum præsupponunt. Quomodo autem Habitus in Disciplinas sint redigendi, ostendunt *Media*, quod hic unicum tantum est, scil. *Methodus in Definitionibus, Divisionibus, & Regulis proponenda*; de qua aliàs, quia jam præter spem excrevit Materia.

§. 36. Hactenus in *indagando omni scibili Lumen rationis* suo officio probè perfunctum est, adeoq; *ex Modo procedendi & Mediis* adinvenit *Remedium* quod quærimus, *dari in cognitione Habituum*: Cum verò illa ad plures Habitus se extendat, nec fieri possit, an omnes seu quidam tantum ad Philosophiam reducendi sint, *applicatio institui debet*, ut *si quæ desint, suppleat; aut si supersint recedat*; atque ita non modò ex fundamentis superius adductis rectè constituatur, verum etiam ab aliis accuratè distinguatur. Hoc autem præstat, si quæ superius data erant, huc reponit, & secundum illa excessum vel defectum examinat. Plura autem ad Philosophiam requiri non posse per se patet, quippe Perfectione mentis ex cognitione facillè contenta est. An verò *ad pauciora restringi* debeat, ex causis disquirendum erit. Quando enim *Cognitionis Habitualis*, tanquam *Forma introducenda, Efficientem* evicimus *Lumen Rationis*, hinc primò sequestrantur è superius inventis *Credibilia seu Res Theologica*, quia non Intellectus acumine indagari possunt, sed *sola revelatione* innotescunt: Deinde *Materiam* ubi statuimus esse *Res omnes in Naturâ propositas*, iterum seipsa quasi recidunt *Artificialia & Intentionalia*; nam *Artes* non tractant res naturæ, sed suppositis rebus ex Naturâ, ad ejus imitationem & similitudinem, *Formam artificialem in Materiam præjacentem In-*

firumentis corporis introducunt. *Intentionalia* verò per reflexio-
 nem Intellectus, ex fundamento in rebus animadverso, ad facili-
 tandam cognitionem primò eruuntur: non autem à Natura ipsà
 supponuntur. Intellectus enim in his Ideas à rebus non accipit,
 sed effectivè elaborat & rebus imponit. Huc quoq; facit *Finitis*,
 scil. *Perfectio Mentis*; quæ si pressius voces urgeamus, *multiplex*
 esse potest; nam *Intellectus* perfici potest vel *Intentionaliter*, vel *Re-*
aliter. *Illo modo* non perficit mentem in cognitione rerum Na-
 turalium, unde non spectat ad *Philosophiam*. Hoc autem modo
 iterum *Perfectio* illa duplex est, respectu rerum, quas vel *Natura per*
se intendit & subministrat; vel *quas ex accidenti & consequenter tan-*
rum admittit. Hæ autem, quia facultatibus mentis per se & ex In-
 tentione Naturæ non medentur, sed tantum per Accidens necessi-
 tatibus subserviunt, & corporis causâ exercentur, iterum à supe-
 rioribus refecantur, reliquis adhuc aservatis, unde *Facibilia quoq;*
corruunt. Quomodo verò *Facultates Superiores* à *Philosophiâ*
 distingui debeant, res subtilioris est indaginis. Certum quidem
 est, ex usu distingui eas à *Philosophiâ*, licet nec hoc negari poterit,
 quòd à *Philosophiâ* dependeant, eamq; tanquam Dominam suam,
 unde *Objecta & Principia* mutuo desumerint, agnoscere teneantur:
 at quomodo ab illâ distinguantur, non statim primâ fronte appa-
 ret. De *Medicâ* res facilior est, quippe illa *Ars* est, adeoq; com-
 munem Artium sortem experitur. At de *jurisprudentiâ* intri-
 catio: Nos ulterius hoc discrimen ex *Fine* elicimus, statuentes
Perfectionem illam, quam *Natura per se* monstrat, esse vel *Prima-*
riam vel *Secundariam* seu *consequentem*. Illa in *Universalioribus*
 subsistit; Hæc ad *Particulariora* & ad ipsa *Individua* usq; se demit-
 tit. Illa solâ *honestate* est contenta; hæc ulterius ad *justitiam &*
æquitatem applicat. Illa *Principia* ponit; hæc que inde dependent,
 elicit. Cumq; igitur *Facultates dictæ* circa *Particularia & Secunda-*
ria occupentur, & à *Philosophiâ* dependeant, quasi *Filia à Matre*;
 patescit, quòd ad ipsam *Philosophiam*, ejusq; *Essentialem conce-*
ptum non pertineant, licet quàm proximè ad eam accedant; unde
Agibulum pars postremò etiam à Philosophiâ submovetur.

S. 37. His reſectis & rejectis reliqua adhuc manent, quæ Intellectu intensivè & extensivè è rebus perficiunt, Contemplabilia omnia & Agibilia ob honestatem. Hæc habitualiter cognita medentur Ignorantia Intellectus, & voluntatis à rebus sufficienter, ideoq; aggregato suo Cyclo adequatè integrant & constituunt habitum Philosophicum.

S. 38. Ita inquiri debuit, ita inveniri potuit, ita jam inventa examinari potest & debet Philosophia: ut si secundum partes jam perfecta sit, secundum gradus tamen magis magiq; expoliatur, adestabiliatur, aut methodicè & rite proponatur; vel saltem quod perfecta sit, demonstratur. An verò ad hunc modum præcisè à Veteribus inventa sit & exulta, non possumus satis tuto affirmare, quia illi, qui primam glaciem fregerunt, nondum ad omnia oculati esse potuerunt; nihil enim simul inventum & perfectum: hinc nobis per posteriores cogitationes, quæ meliores esse perhibentur, eliminandi ansam suggererunt. Hoc tamen certum est, quod non multum ab hac viâ recesserint; nam cum Sapientioribus quotidie se oggerent Res tum naturales, tum actiones hominum, illi post Artes (nam illæ primò omnium inventæ & exultæ putantur, quia necessitas impulit homines, ut de iis cogitationes susciperent) animadverterunt primò actiones esse rectificandas: hinc de illis in genere varia præcepta confusè tradiderunt, posteaq; sensim arripuerunt ordinem in rebus naturalibus, eumq; in Systema certum redegit primus Thales Milesius, quem secuti alii. Actiones hominum in Ethicam Disciplinam concinnarunt fortè Lycurgus, Socrates &c. Interea alij, dum adverterent in Physicis Concreta proponi, & cum varijs Accidentibus permisceri, ubi Qualitates quidem ab iisdem Principiis, quæ in Physicâ tractantur, dependeant, & per Demonstrationem elici possint. At Quantitatem alia cognoscendi Principia supponere, ideoq; seorsim tractandam collegerunt; unde Mathematica ortum habuit; quæ primùm exulta à Pythagorâ in Magnâ Græciâ; Tandem obser-

observantes per ulteriorem abstractionem Universaliora sepe colligi, quæ in Predicando locum haberent, Hinc Plato Logicam suam, quam etiam Metaphysicam vult, invenit. Aristoteles vero ejus Discipulus, cum postmodum cognosceret, Metaphysicam cum Logica confuse ita proponi; quia distincta sunt Realia & Instrumentalia, hinc unam ab alterâ distinxit, & seorsim proposuit. Ille etiam pro divino suo ingenio omnium aliorum operas collegit, & in animum quasi corpus, eâ quâ fieri potuit secularitate, perspicuitate, dexteritate, facilitate redegit, in quo omnia in Universali exhibere, ex fundamentis eruta per causas suas firmiter stabilire, ac unum quodq; suo loco Methodicè digestum proponere studuit, grataq; posteritati ad ulteriorem disquisitionem reliquit.

§. 39. Existencia itaq; hactenus distinctè evicta, facile inde deducitur, immo sponte sua fluit Essentia & Natura Philosophiæ, quæ in definitione & Divisione proponi solet: Illa enim duo, quicquid ad Essentiam rei spectet, proponunt & declarant. Cum autem ex superioribus constet, Philosophiam ab extrinseci advenire, adeoq; Accidens esse, & quidem ex varijs rebus aggregatum, sequitur ad Modum Accidentis, & Aggregati describendam & partiendam esse. Accidentia autem (quod hic brevitate ergo supponimus) ita definiuntur, ut Generis locum Formæ, quæ hinc Generica denominatur, occupet, & Differentia ex Materia & causis externis desumatur. Aggregata verò postulant, ut à partibus sive membris, eorumq; nexu describantur, & vicissim juxta illa distribuantur.

§. 40. In definitione igitur Genus ob naturam Accidentis erit cognitio Habitualis, seu ipse *Habitus*, quia est *Forma generica*, quæ introducitur, perficit mentem, & inde operatur. Huic ob naturam Aggregati accedit determinatio, quod sit *Aggregatus Habitus*, ut innuatur nexus seu unio inter partes aggregatas.

Differen-

Differentia sumitur 1. à Materia seu Objecto, quod coincidit cum partibus aggregati. Sunt autem Contemplabilia & Agibilia ob honestatem. 2. à causis externis, ut pote tum à Fine, quem intendimus, ut perficiatur Intellectus & Voluntas; hic enim subinvolvit respectum ad subjecta perficienda, per diversos actus in Formâ genericâ inclusos; tum ab Efficiente, quæ est Lumen rationis. Unde talis nobis emergit Descriptio. Philosophia est Habitus Aggregatus ex Rebus contemplabilibus & moraliter Agibilibus, Lumine rationis ex fundamento Natura erutis, ut contemplatione Intellectum, & Actione honesti voluntatem perficiat. Seu

Est Habitus animi principalis Cognoscibile reale, naturale, liberale, fundamentale ad aquatè & distinctè representans, ad Mentis naturalem perfectionem. Seu

Est Habitus Aggregatus, ex Habitibus animi rationis lumine cognitis, realibus & discursivis ad mentem contemplando verum & agendo bonum honestum, naturaliter, principaliter, liberaliter & primariò perficiendam.


§ 41. Ex Definitione ulterius elicitur Divisio, quæ in Accidentibus à Materia; & in Aggregatis à partibus integrantibus desumi solet. Quæ ergo & quot partes hujus aggregati & Materiae sunt, tot erunt Membra Divisionis constituenda. Partes autem ex Differentiâ rerum formali, in Modo cognoscendi, supra inventæ sunt duæ, quæ etiâ in Definitione sunt dispositæ: Quædâ enim contemplando; quædâ agendo cognoscuntur. Accedit, quod hi duo actus duobus diversis Facultatibus adaptentur, adeoq; & Formâ & Finibus, & Subjectis perficientis differunt: hinc duæ partes oriuntur

*res oriuntur, quarum prior Contemplabilia omnia sibi vindicat,
& dicitur Theoretica. Altera Agibile morale pro Objecto agno-
scit, & dicitur inde Practica Philosophia.*

§. 42. Hæc ulterius declarare & dilucidare animuserat ; at
quia ultrâ quàm sperabamus, Materia excrevit, cogimur hîc
disfertationis hujus filum rumpere, & reliqua enucleatius
tractanda in aliud commodius tempus rejice-
re, succinentes

SOLI TRINUNI DEO
GLORIAM.





S. 37. His reſectis & rejectis reliqua adhuc
 ſū intensivè & extenſivè è rebus perficiunt, C
 & Agibilia ob honeſtatem. Hæc habituali
 Ignorantia Intellectûs, & voluntatis à trã Zico
 gregato ſuo Cyclo adequatè integrant & i
 Philoſophicum.

S. 38. Ita inquiri debuit, ita inveniri potuit
 minari poteſt & debet Philoſophia: ut ſi ſecū
 facta ſit, ſecundum gradus tamen magis ma
 ſtabiliatur, aut meſodixoripos proponatur
 facta ſit, demonſtretur. An verò ad hu
 Veteribus inventa ſit & exculpta, non poſs
 mare, quia illi, qui primam glaciem freger
 omnia oculati eſſe potuerunt; nihil enim ſit
 factum: hinc nobis per posteriores cogitat
 eſſe perhibentur, elimandi anſam sugges
 certum eſt, quod non multum ab hac v
 cū Sapientioribus quotidie ſe oggereren
 tum actiones hominum, illi poſt Artes (na
 um inventæ & exculptæ putantur, quia ne
 mines, at de iis cogitationes ſuſciperent
 primò actiones eſſe rectificandas: hinc de
 præcepta confuſe tradiderunt, poſtea q;
 ordinem in rebus naturalibus, eumq; in Sy
 primus Thales Mileſius, quem ſecuti alii.
 in Ethicam Diſciplinam concinnarunt for
 tes &c. Interea alij, dum adverterent in
 proponi, & cum varijs Accidentibus perni
 quidem ab iisdem Principiis, quæ in Pl
 pendeant, & per Demonſtrationem elici
 tatem alia cognoscendi Principia ſupponer
 tandam collegerunt; unde Mathematico
 primum exculpta à Pythagorâ in Magni
 D 3



the scale towards document

ntelle-
 omnia
 entur
 ag-
 tum.

a exa-
 mper-
 aus
 d per-
 ecise à
 affir-
 ad o-
 & per-
 liores
 amen-
 nam
 rales,
 omni-
 it ho-
 runt
 varia-
 runt
 edegit
 num-
 ocrata
 retas
 itates
 ur, de-
 quanti-
 m tra-
 t; que
 idem
 obser-